



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Caput I. De Cognoscibilitate Et Realitate Mysteriorum Trinitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

LIBRI PRIMI TRACTATUS II. DE DEO VT EST TRINUS IN PERSONIS.

CAPVT PRIMVM.

DE COGNOSCIBILITATE ET REALITATE MYSTERII TRINITATIS

CONTROVERSIA I.

VTRVM TRINITAS PERSONARVM IN VNA NATVRA POSSIT NATVRALIBVS ARGV- MENTIS PROBARI.

156. **R**aymundus Lullus circa annum 1290. inter alios articulos, de quibus apud Gregorium XI. accusatus fuit, etiam hunc docuerat. Omnes articuli fidei probantur per rationes necessarias, demonstrativas & evidentes. & insuper dixerat, se probare Trinitatis Mysterium demonstrationibus ita evidentibus, vt etiam Mahumetanus ijs conuinceretur, si bene penetraret. *sed homines insciji*, inquit, & peccatores non intelligunt eas rationes. Et ne quis putaret (vt putavit Vasquez) eum loqui præsuppositâ fide, hanc expressè excipit, asserens, eam solum esse necessariam insciji, rusticis, ministris, & non habentibus intellectum elevatum, grossi ingenij &c. *sed homo subtilis facilius trahitur per rationem quam per fidem.*

157. Richardus de S. Victore profitemur quidem, Trinitatem sine fide præviâ non posse demonstrari, juxta illud Isaia. 7. *nisi credideritis, non intelligetis*: fide tamen suppositâ, ait, manifestâ ratione probari, immò multiplici demonstratione convinci, quod sicut perfectio vnius Personæ est causâ alterius, ita perfectio gemina, est causâ tertiæ in Trinitate.

158. Dicendum est. 1. Seclusâ divinâ revelatione non posse Mysterium Trinitatis ullâ efficaci ratione probari. Et quidem de evidenti cognitione satis apertè habetur Luca 10. *Nemo scit quis sit Filius, nisi Pater, & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Eadem fuit constans Sanctorum Patrum Sententia. S. Dionysius Areopagita de divinis nominibus c. 13. post medium. *Nullus inquit, monas, aut Trias, neque numerus, neque unitas, aut secunditas, nec quidquam aliud eorum, quæ aut sunt, aut cognita sunt, arcanum illud summe omniaque superantis Divinitatis, quod rationem omnem, mentemque vincit, enuntiat, neque enim nomen est, neque ratio: sed in ijs, ad quæ aditus non patet, secreta est.*

S. Justinus Martyr in expositione Fidei de Trinit. prope medium ait, nullo modo nos posse penetrare ad divinam essentiam, nec ad ejus mysteria.

S. Cyprianus in prologo libri de Operibus Cardinalib. Christi loquens de Mysterio Trinitatis. *Ad hanc, inquit, rerum adeo profundarum indaginem, nisi incarnati Verbi Mysterium accessisset, humana defecissent ingenia, & nescio si & aliqui, NB. auderent ad hæc remanda conatus assurgere.*

159. Pro-

559. Probatur ratione. 1. Quidquid intellectu creato naturaliter innotescit, vel innotescit immediatè ex terminis benè apprehensis, vel mediatè per discursum: Neutro modo potest naturaliter innotescere Trinitas Personarum in Vnitate Naturæ: ergo &c. Minor probatur. Et quidem quoad primum membrum est indubitabilis: nam si *Termini*; *Trinitas Personarum Vnitatis Naturæ*, apprehendantur eo modo, quo ex cognitione creaturarum à nobis possunt apprehendi, adeo sibi adversantur, ut potius ad negandum, quam affirmandum nos impelli sentiamus.

560. Quoad. 2. Membrum probatur. Omnis discursus nititur primis principiis Logicæ seu Dialecticæ: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: quæ sunt realiter distincta in Tertio, sunt realiter distincta inter se.* Sed hæc principia eo modo apprehensa, quo ex creaturarum cognitione possumus ea apprehendere, potius impellunt ad negandam quam affirmandam Personarum Trinitatem in Vnitate Naturæ; quia assensus hujus Mysterij est assensus identificatorum cum tertio sine identitate inter se: ergo &c.

561. Probatur. 2. Sicut Existencia Dei non potest nobis innotescere nisi per effectus, ita nihil divinum potest naturaliter innotescere, nisi quod per effectus est manifestabile: sed Trinitas Personarum in vnitatis Naturæ non est per effectus manifestabilis: ergo. Minor probatur. Quidquid per creaturas potest manifestari, & ab illis participari, sunt perfectiones communes tribus Personis, sicut operationes omnes ad extrà sunt illis communes, & insuper repugnat inveniri Trinitatem creatam in vnitatis Naturæ: ergo Trinitas non potest per effectus demonstrari.

562. DICES. Facunditas est divina perfectio, participata à creaturis: ergo posset ex creaturis cognosci saltem Generatio Filij.

Sed contra. 1. Necdum tamen cognoscitur Trinitas, quia Spiratio tertiæ Personæ non est Generatio. Contra. 2. Generatio prout reperitur in creaturis, involuit maximam imperfectionem, cum fiat per corruptionem generantis, & communicetur natura realiter distincta à natura generantis. quod si has imperfectiones auferas, inducis identitatem naturæ generantis & geniti, quod intellectus naturaliter non capit. Contra. 3. Quia defacto postquam habemus revelationem de diversitate harum processuum, quod videlicet vna sit generatio, non item altera, necdum tamen habemus claram & expeditam explanationem discriminis, ut ex dicendis constabit. Quamvis autem multa per fidem credamus, quorum essendi modum ignoramus, naturali tamen ratione non assentimur alicui diversitati rerum, quamdiu modus diversitatis non aparet, v.g. non assentiremur, dari in nobis intellectiones & volitiones, nisi earum diversitatem & discrimen experiremur: ergo pari modo non possemus naturaliter judicare, Verbum generari, non item

Amorem, quamdiu Processuum diversitas nulla apparet.

563. Objicies. Philosophi gentiles Mysterium Trinitatis in suis scriptis expresserunt: a qui non sunt assecuti vlla revelatione: ergo solius naturalis luminis beneficio. Imprimis Eusebius lib. 2. de perenni philosophia c. 10. tradit, juxta Platonis Theologiam, à primo Principio secundum Principium generari, tertium verò Principium esse habitum amorum, quem nos amorem reciproco dicimus. Deinde Porphyrius, teste S. Augustino de Civit. c. 23. ex mente Platoniorum concessit Deum Patrem, & Deum Filium, quem græcè appellat *Patrem Intellectum*, vel *Patrem mentem*. Circumfertur etiam Serapidis responsum hujusmodi:

Principio DEVS est, tum Sermo, & Spiritus illi Additur, æquæva hæc sunt, & tendentia in unum.

Denique Eusebius Cæsariensis lib. 11. de Præparatione Evang. refert, Plotinum scripsisse librum de tribus Hypostasis, & affirmasse, duas hypostasies procedere ab vna, quæ prima est.

564. R. Si quid Gentiles Philosophi de Personis divinis scripserunt, illud non ratione aliqua naturali deduxerunt, sed vel ex libris Moysis (in quibus Plato valde versatus fuit) vel ex Oraculis Sybillarum, vel denique etiam Dæmonum & Idolorum manifestatione didicerunt; cuiusmodi est illud Apollinis Delphici de vera Religione interrogati responsum.

Ne me sciteris de Divino Genitore, Et Sobole charâ, rebus Magni Induperantis. Et Flatu, qui mundum adstrictum continet omnen.

565. Dicendum 2. Etiam post acceptam Revelationem hujus Mysterij, & præstitum assensum, adhuc est impossibile invenire evidentem probationem possibilitatis hujus Mysterij. Probatur. Nam licet suppositâ fide Theologi investigent disparitatem inter Deum & creaturas, quibus persuadeant intellectui benè disposito, non esse evidentem implicantiâ hujus Mysterij in Deo, sicut est in creaturis, non potest tamen intellectus eo assurgere, ut evidenter convincatur, non esse repugnantiam, seu quod idem est, esse disparitatem evidenter sufficientem, quare in Deo possint duo realiter identificata distingui realiter in Tertio, non item in creaturis. Semper enim hoc Mysterium transcendit limites & Spharam illorum principiorum, quibus innixus potest intellectus naturalem demonstrationem conficere. Sunt autem hæc duo valde diversa: *Evidens est, non repugnare.* Et: *Non est evidens repugnare.* seu: *Evidens est, non esse evidentem repugnantiam:* hoc secundum potest præstari, non illud primum.

CONTROVERSIA II.

*Quâ ratione dissolvenda sint Argumenta
Metaphysica contra Mysterium SS.
Trinitatis.*

§. I.

*Varia Responsiones minus idoneæ refe-
runtur.*

166. Quamvis Argumentorum Metaphysico-
rum, ex conceptu generali Identitatis &
distinctionis Realis deductorum fallacia, non pos-
sit evidentiter ostendi, possunt tamen ac debent
eiusque enervari atque dissolvi, ut ostendatur,
non esse evidentem repugnantiam huius Mysterij
cum evidentibus principiis metaphysicis; & hoc
præfari posse agnovit S. Augustinus lib. 1. de
Trinit. c. 2. dicens: *Istis garrulis ratiocinatoribus,
elaborioribus quam capacioribus, atque ideo morbo peri-
culosiore laborantibus sic fortasse serviemus, ut inve-
niant aliquid, unde dubitare non possint, & ob hoc
in eo quod invenire nequiverint, de suis mentibus potius,
quam de ipsa veritate, vel de nostris disputationibus
conquerantur.*

167. Ut autem intellectus noster hujus-
modi apparentibus quidem, sed reipsâ fallacibus
Argumentis, ab assensu Fidei minus retardetur,
multum conducet, si advertamus, dari in Deo a-
liquis perfectiones naturali discursu demonstra-
biles, quæ tamen contrariis argumentis non mi-
nus quam Mysterium Trinitatis impugnentur:
cur igitur grave sit, aliquam veritatem revela-
tam, sed naturaliter incognoscibilem credere,
quantumvis contrariis argumentis naturalibus ratiun-
culis? Antecedens autem patet in perfectione
Libertatis. Demonstratur enim, omni revela-
tione sepositâ, Deum esse agens liberum: & ta-
men hæc libertas, non minori, si non majori pon-
dere naturalium argumentorum impetitur, ut su-
pra vidimus.

168. Argumenta, quibus impugnari po-
test Trinitas, fundantur, ut jam dixi, in princi-
piis Metaphysicis seu Logicis, quibus omnis bo-
nus syllogismus innititur. Quæ sunt eadem vni
tertio, sunt eadem inter se: Quæ distinguuntur reali-
ter in tertio, distinguuntur realiter inter se. Item:
Quæ dicuntur de aliquo distributive sumpto, dicuntur
de quovis contento sub illo: & quæ negantur de aliquo
distributive sumpto, negantur de quovis contento sub
illo. Hinc conficiuntur hi syllogismi.

Omnis Essentia divina est Pater,
Filius est Essentia divina.
Ergo Filius est Pater.

Vel:

Filius non est Pater.
Ergo Filius non est Essentia divina.

Item:

Omnis Pater distinguitur realiter à
Filio.

Omnis Essentia divina est Pater.

Ergo omnis Essentia divina distingui-
tur realiter à Filio.

Vel:

Nulla Essentia divina distinguitur rea-
liter à Filio.

Ergo nulla Essentia divina est Pater.

Item.

Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem
inter se.

Tres Personæ sunt eadem Essentiæ di-
vinæ:

Ergo tres Personæ sunt idem inter se.

Vel.

Quæ distinguuntur in tertio, distinguun-
tur inter se.

Essentia divina & Filius distinguuntur
in tertio, nempe in Patre, cum quo
Essentia est idem, non item Filius.

Ergo distinguuntur realiter inter se.

169. Hæc argumenta putarunt aliqui o-
mnium expeditissime solvi, concessis præmissis
negando consequentiam; eò quod Regulæ syl-
logisticæ non valeant in divinis. Sed contra est.
1. Quia hoc est hæreticis ansam præbere calum-
niandi Theologos, quod contra ipsos urgeant
formam syllogisticam. Gentilibus verò ingene-
ratur aversio à nostris Mysterijs, tanquam essent
rationi adversantia; cum tamen de Essentia veræ
Religionis esse debeat, nullum asserere dogma
rationi contrarium.

170. Contra. 2. & à priori Quia forma
syllogistica, ejusdemque regulæ, abstrahunt ab
omni materia: ergo vel in omni, vel in nulla ha-
bent vim concludendi.

171. Respondent alij. 2. Principia illa
metaphysica esse tantum vera, quando adhiben-
tur absolutis, non item relativis. Ita P. Ruiz,
addens, quod Relativa, quamvis sint realiter ea-
dem vni tertio singulari & infinito, non sint ea-
dem realiter inter se, nisi referantur ad eundem
terminum.

Sed imprimis hoc additum patitur instan-
tiam manifestam. Nam Paternitas, & Spiratio
Activa sunt Relativa, & ad diversos terminos,
& tamen inter se sunt realiter idem.

Contra. 2. In rebus creatis valent illa prin-
cipia non solum in absolutis, sed etiam in Rela-
tivis: ergo si formâ syllogisticam abstrahit ab omni
materia (prout ipse Ruiz docet) etiam abstrahet à
Relativis & absolutis divinis.

M

Contra.

Contra. 3. Quia hæretici vel Gentiles videntes illis principiis, hoc ipsum intendunt probare, in Deo non dari Relativa realia; ita faciebat Sabellius.

572. Respondent alij. 3. cum S. Thoma q. 28. a. 3. ad. 1. tunc verum esse axioma: *Quæcunque sunt eadem vni tertio &c.* si sint idem re & ratione, sicut tunica & vestimentum, non autem si ratione differant. Hæc tamen responsio, prout verba sonant, non potest subsistere: alioquin omnes syllogismi deberent constare meris propositionibus identicis, nec darentur propriè tres termini mentales, sed solum vocales. Ideo

573. Respondent alij. 4. distinguendo. Quæ sunt eadem vni tertio, & nec virtualiter ab eo distincta, sunt eadem inter se, concedunt, secus, negant.

Hæc responsio, quæ est communiter recepta, rem ipsam quidem dicit, sed adversa ijs non potest satisfacere, nisi ulterius roboretur, & declaretur. Nam, ut suprà vidimus, distingui virtualiter est distingui in tertio: Adversarij autem assumunt pro principio metaphysico contrarium, nempe quoddam distinctionem in tertio arguat distinctionem realem inter se, non minùs quàm identitas in tertio arguit identitatem inter se: responsio ergo non est apta, quæ hoc secundum principium distinguit per negationem illius prioris principij: hoc autem facit data responsio: dicit enim: *Quæ sunt eadem vni tertio, & non distinguuntur ab eodem in alio tertio, sunt idem, aliàs non.* Ecce! supponit responsio, posse duo esse idem, & tamen distingui in tertio, quod est formalissimè negare illud principium metaphysicum: *Quæ distinguuntur in tertio, distinguuntur inter se.* Ulterius ergo ratio reddenda est, cur hoc principium sit verum in creatis, non item in divinis: & hoc præstito, tunc procedit data responsio.

574. Respondent alij. 5. aliter distinguendo. Quæcunque sunt eadem vni tertio adæquatè, sunt eadem inter se, concedunt; quæ sunt tantum inadæquatè, sicut pollex & index sunt inadæquatè idem cum manu, negant. Sic ergo (dicunt) Pater non est adæquatè idem cum Deitate, quia non est omne id quod est Deitas, cum non sit Filius & Spiritus S.

575. Sed contra hanc Responsionem adhuc vrgetur. Quia Pater est quidem inadæquatè tantum idem cum Trinario Personarum, sed tamen adæquatè est idem cum natura divina sumpta secundum esse absolutum: hoc est, ille ipse indivisibilis conceptus objectivus, qui exprimitur per nomen, *Natura*, totus quantus est idem cum Patre & etiam cum Filio. ergo vel adhuc locum habebit illud principium: *Quæ sunt eadem &c.* vel debet magis explicari illa inadæquatio.

576. Sexta responsio formari posset ex doctrina Aureoli, in 1. dist. 1. a. 4. & dist. 2. p. 3. a. 4. & dist. 33. a. 3. quam ab omnibus alijs Doctoribus neglectam in theatrum produxit P. Antonius Perez, disp. 1. de Trin. c. 2. n. 48. & 56. vocans

acutissimam, & tanto ingenio dignam, quamvis eam ex quadruplici capite postmodum rejiciat. Postquam ergo doctrinam Aureoli verbis Auditoris nonnihil in compendiū redactis proposuisset, deinde eam quasi clariorem redditurus: *Placet*, inquit, ad usum scholæ familiariū & brevius sententiam Aureoli proponere. *Identitas perfectæ in genere est inseparabilitas re & ratione præscindente scilicet obiectivè:* (per præcisionem objectivam intelligit illum conceptum, quo alterum ne quidem in obliquo concipitur) *hæc est dividenda in identitatem extremorum, ratione cuius, quidquid vni inest, alteri inest, necesse est.* (& hanc vocat Aureolus Identitatem repetitionis) & in oppositam, quæ solum in divinis reperitur: ex qua tanquam proprietas necessariò consequitur, ut vnum possit in recto significari, constituto altero extremo non in recto, sed in obliquo. *Diversa est vtraque identitas, sed æquè distinctionem à parte rei excludunt, nam distinctio versatur semper inter res habentes proprias unitates, quibus vnaquæque est divisa in se, & divisa ab alia, cum comparatione propriam unitatem habeat; at non est divisum ab alio, quod neque re neque mente potest ab ipso separari, quamvis concipiendi modus possit esse diversus secundum obliquum & rectum: posteriori genere identitatis personalitas & essentia sunt idem, quia non possunt præscindi mente ab invicem, nisi secundum constitutionem recti & obliqui, neque potest dici, Essentiam habere propriam unitatem comparatione Personalitatis aut e contra: sed ex Personalitate & Essentia constituitur una simplex Persona.* Hæc P. Perez ad magis clarificandum (si verum est tamen) Aureolum.

577. Ex quibus potest breviter hæc distinctio ad solvenda argumenta confici. Quæcunque sunt eadem vni tertio identitate Repetitionis, sunt eadem inter se, conceditur: quæ sunt eadem identitate omnimodè indistinctionis, seculà identitate repetitionis, negatur: sed Paternitas & Filiatio sunt eadem cum Essentia identitate repetitionis, negatur; hæc seculà, conceditur minor & negatur consequentia.

578. Contra hanc doctrinam, omisiss alijs, est. 1. quia per eam non ostenditur, quare in rebus creatis repugnet identitas omnimodè indistinctionis & inseparabilitatis re & ratione, exclusà identitate repetitionis, & per consequens, quare non etiam possit dari duorum identitas in tertio, quæ tamen non sint idem inter se, v. g. quare non possint potentia intellectiva & volitiva esse realiter ab invicem distinctæ, & tamen identificatæ cum substantia Angeli, vel animæ. Secundò; juxta hanc doctrinam actus liberi Dei non possunt Deo esse adæquatè intrinseci, quia sunt separabiles re, prout etiam notavit P. Perez. Tertiò; Intellectus noster longè facilius sibi persuaderet, posse quatuor realiter distincta ab invicem esse ab invicem inseparabilia re & ratione, quàm capiat, tria realiter distincta ab invicem esse idem cum quarto, à quo sunt inseparabilia: ergo intellectus ex naturali inclinatione non agnoscit aliam identitatem quàm repetitionis, hoc est, quod

quod illa sola sint idem, quorum unicuique inest, quod inest alteri. Quartò. Tres Personæ defacto sunt realiter distinctæ inter se, & tamen ab invicem inseparabiles re & ratione, ut fatetur & supponit Aureolus: ergo omnimoda inseparabilitas non inferit identitatem inter se: & quidquid ulterius requireret Aureolus, vel requireret gratis, vel non conveniret identitati Personarum cum Natura divina, vel denique evaderet Identitas repetitionis.

§. II.

Verior modus solvendi prædicta Argumenta.

179. Solutio illorum Argumentorum unice desumenda est ex declaratione conceptus identitatis, & ostendendum, quomodo non sit contra conceptum Identitatis duorum prædicatorum, in ente infinitæ perfectionis, posse distingui realiter in tertio, & sic (ut communiter jam dici solet) eidem rei secundum diversas formalitates prædicata contradictoria convenire; vel melius: (ut ego supra existimavi) duas formalitates Identificatas esse rationem idem affirmandi & negandi, v.g. negandi quod Paternitas communicetur in ratione Paternitatis, & simul affirmandi, quod Paternitas communicetur in ratione Naturæ, cum qua identitatur, ut fusiùs supra declaravi.

Uterius, quia non omnibus prædicatis divinis hoc convenit, ut respectu cujuscunque possint distingui realiter in tertio, & ideo respectu plurium prædicatorum non minus locum habeant principia Metaphysica, quam habeant in creatis, ideo etiam declarandum est discrimen inter prædicata capacia & non capacia hujusmodi distinctionis in tertio, seu affirmationis & negationis.

180. Horum omnium conciliationem commodam subministrant ea, quæ circa præsentem difficultatem ceteris profundius speculatus est, & feliciter assecutus aliquoties jam laudatus P. Antonius Perez, cujus vestigijs insistant P. Esparza, Sylvester Maurus in *Log. de Universalib. quest. 30.* & 31. alijque Romani, neque in tripla dissentit (quamvis videri velit) P. Aldrete *To. 2. disp. 3. s. 2. 3. 4.* Quia tamen eadem veritas potest diversis modis proponi, prout cujusque genius fert, mihi quoque licebit meum sequi: quod præmonere volui, ne, si quid fortassis minus accommodatè dixerò, & in meo sensu minus sapienter abundavero, citatis authoribus adscribatur, sed mihi.

181. Primò ergo advertendum est, discrimen fundamentale inter ens finitum & infinitum in perfectione, esse, quod ens finitum ex eo dicitur finitum, quod sit limitata perfectionis, adeoque carens alijs perfectionibus, quas si haberet, esset ens æstimabilius quam sine illis. Ens verò infinitum in perfectione est, cujus æstimabilitas crescere non potest per cujuscunque conceptus objectivi accessionem. Hinc complexum ex Deo & creatura non est quid æstimabilius quam Deus

sine creatura, & una divina Persona non est minùs æstimabilis quam tota Trinitas.

182. Secundò observandum est, quod ad hoc ut A. identificetur cum B. debeat A. & B. simul non habere plus æstimabilitatis, quam habeat vel B. secundum se, vel A. secundum se, realiter à parte rei. Ratio est, quia ad Identitatem requiritur ut vnum sit alterum, & rectè vnum de altero affirmetur: atqui ut vnum sit alterum, requiritur utique, ne vnum habeat aliquam æstimabilitatem, quam alterum non habeat: ergo &c. Ratio ulterius est, quia Identitas est summa communicatio duorum prædicatorum inter se: sed si vnum haberet æstimabilitatem, quam non haberet alterum, hoc ipso non communicaret se summè, quia non communicaret alteri totam suam æstimabilitatem; sive: quia non communicaret se alteri eà communicatione, quæ non minùs verificaret hanc propositionem, *A. est B.* quam hanc: *A. est A.* sive, ut loquitur P. Esparza, quia non communicaret se alteri sicut se sibi ipsi, quæ tamen phrasi non libenter utor, quia nimis insuetum est dicere, aliquid se sibi communicare sub eodem formalissimo conceptu, nam *communicans* concipitur instar dantis, adeoque cum respectu ad accipientem. sed hæc est questio de nomine.

183. Tertio observandum est, hæc duo inter se converti: *communicari alteri summè*, & *communicari alteri secundum omnem suam æstimabilitatem*: unde consequens est, ad identitatem duorum prædicatorum non magis vnum quam alterum requiri, & si vnum sufficiat, etiam alterum sufficere. Itaque

184. Quarto observandum est, ad Identitatem ut sic in genere & requiri & sufficere communicationem summam, & secundum totam æstimabilitatem, ita ut si A. taliter se communicet B. ut utrumque simul non sit quid magis æstimabile quam singula, tunc rectè dici, illa esse idem, & vnum de altero posse affirmari. Quod hæc communicatio requiratur, jam est ostensum: quod autem sufficiat probatur. Quia ubi est una eademque æstimabilitas, est una eademque Entitas: ergo & Identitas; quia hæc voces, *Identitas*, & *eadem Entitas*, sunt synonymæ.

185. Confirmatur. Vnitas seu Identitas specifica ideo est major vnitas, quam vnitas generica, quia magis accedit ad vnitatem numericam, quæ denique est summa vnitas & identitas: sed ideo magis accedit, quia major est communicatio in specie, quam est communicatio in genere, hoc est, major est consensus & convenientia in prædicatis inter ea quæ differunt solum specie, quam inter ea quæ differunt genere: ergo summa communicatio infert summam vnitatem & identitatem.

186. Quintò denique observandum est aliud discrimen inter perfectionem finitam & infinitam. Omnis perfectio finita per sui communicationem non solum perficit id cui se communicat, sed vicissim etiam perficitur, & redditur æstimabilius.

bilius. At verò ens infinitè perfectum, habens omnem perfectionem simpliciter simplicem, potest intelligi se communicans alteri prædicato seu formalitati, ut illud perficiat, reddatque infinitè perfectum, absque eo quòd ab illo reciprocè perficiatur. Ratio est, quia hoc ipso quòd sit infinitè perfectum, nullius accessione fit melius aut æstimabilius.

§87. Ex his observationibus eruitur imprimis ratio, quâ conciliantur in Deo, quæ in creaturis conciliari non possunt, nempe quòd duo prædicata Identificata possint distingui realiter in tertio, quatenus (ut communiter dici solet) fundant prædicata contradictoria; v. g. *communicari, non communicari, produci, non produci* &c. Stat enim summa communicatio, adeoque Identitas inter Naturam divinam & Paternitatem v. g. cum hoc, quòd Natura divina pariter se infinitè, adeoque summè communicet Filiationi, absque eo quòd illi communicet Paternitatem, cui etiam est natura infinitè communicata: cum enim essentia divina tantum perficiat Paternitatem, sed non perficiatur reciprocè, adhuc secundum omnem æstimabilitatem suam se communicabit Filiationi, etiamsi Paternitatem illi non communicet. Cessat itaque in Deo ratio repugnantiae Identitatis cum virtuali distinctione, quæ militat in creatis, nempe Perfectibilitas.

§88. Secundò, eruitur ratio, quare inter attributa absoluta divina non possit intercedere virtualis distinctio intrinseca, sicut intercedit inter Essentiam & Personalitates. Ratio inquam est, quia attributa absoluta sunt Perfectiones simpliciter simplices, quarum vel vnâ deficiente deficit conceptus *Entis infiniti* sibi sufficientis, & habentis omnem æstimabilitatem, nec ulterius perfectibilis: jam ergo, si vna ab altera virtualiter intrinsecè distingueretur, hoc ipso vna alteri aliquod prædicatum non communicaret, nempe illud in quo discreparet, & illud esset Perfectio simpliciter simplex, adeoque pars infinitæ æstimabilitatis: ergo jam non se communicaret secundum omnem æstimabilitatem, adeoque nec communicatione summâ; ergo non daretur identitas: ergo non daretur distinctio virtualis, sed realis. Hæc ratio non procedit contra Identitatem Naturæ cum Personalitatibus, ut patet; nam Personalitates communicant se naturæ divinæ, non ut illi aliquam æstimabilitatem conferant, sed ut eam accipiant: imò fortassis rectius quis diceret, Personalitates non se communicare Naturæ, sed accipere naturam communicatam, quia tunc *communicare* dicit; suam æstimabilitatem alteri communem facere; cum ergo Personalitates non habeant propriam æstimabilitatem, sed totam accipiant à Natura, non est absurdum dicere, inter Naturam & Personalitates esse communicationem non mutuum: neque enim de conceptu communicationis ut sic, est: esse mutuum; quia Deus dicitur se communicare creaturis, non item creatura se communicare Deo: itaque ad Identitatem sufficit communicatio illius quod habet pro-

priam æstimabilitatem; sed hæc erit lis de modo loquendi. Cum ergo omnes tres Personalitates accipiant sibi communicatam eandem infinitam æstimabilitatem naturæ, ideo in ea ratione sunt vnum, scilicet, vnus Deus.

§89. Deducitur. 3. Duplicem dari speciem Identitatis inter prædicata divina. Aliqua enim identificantur communicatione summâ, tam formaliter quàm materialiter, sive, ut loquuntur Authores allegati, tam Intensive quàm Extensivè; & ab iisdem vocatur Identitas adæquata (P. Sylvester Maurus vocat cum Aureolo Identitatem Repetitionis) quando nimirum omnia, tam perfectiva quàm non perfectiva prædicata communicantur: talis identitas intercedit inter attributa absoluta, quorum singula identificantur cum omnibus & singulis Personis, & hanc identitatem sibi invicem communicant; quia huic communicationi nulla obstat oppositio relativa, qualis obstat, quòd minus Natura divina possit communicare Paternitatem Filiationi, & Spirationem activam Spirationi passivæ &c. Alia identificantur communicatione summâ formaliter quidem, sed non materialiter: sive intensive quidem, sed non extensive: talis intercedit inter Naturam & Personalitates; quia Natura ita se communicat Filiationi, ut tamen illi non communicet Paternitatem. Hæc duæ species Identitatis conveniunt in hoc, quòd utraque sit summa formaliter, seu quoad totam æstimabilitatem.

§90. Ex hac Identitatis declaratione, respondetur nunc in forma ad argumenta superius facta. Et quidem illa propositio: *Essentia est Pater*: distinguitur hoc modo: Essentia est Pater Identitate & communicatione summâ formaliter tantum seu intensive, conceditur: Identitate & communicatione summâ etiam materialiter, & extensive, negatur. Eodem modo cum propositione distinguenda sunt reliquæ propositiones.

Hæc responsione utendum esset contra Gentiles aut hæreticos, serio impugnantes hoc mysterium, quia desumpta est ex ratione quasi à priori, & ex declaratione Identitatis.

§91. Contra illos autem, qui huiusmodi argumentis vtuntur ad exagitandam formam syllogisticam, supponentes interim Mysterij huius veritatem, responderi potest cum distinctione, quâ utitur Cardinalis Pallavicinus c. 53. n. 408. ad solvendum hoc argumentum.

Pater adæquatè est Essentia.

Essentia adæquatè est Filius.

Ergo Pater adæquatè est Filius.

Distinguit citatus Author maiorem: Pater adæquatè est Essentia, Identitate Entitatis (id est Naturæ) concedit: Identitate terminorum conceptibilium seu suppositi, negat. Eodem modo distincta minore, distinguit etiam consequens: Pater est Filius identitate Entitatis, sed realiter ab eo distinguitur distinctione terminorum, concedit consequentiam, identitate terminorum adeoque suppositi, negat consequentiam.

§92. Hanc

592. Hanc responsionem ideo retuli, quia in ea plane tacite supponitur, non esse opus admittere, prædicata contradictoria verificari de Essentia & Paternitate. Nam data responsio concedit, quod eo sensu quo Paternitas non est Filius, nempe identitate suppositi, eodem sensu Essentia non sit Filius: & e contra, eo sensu quo Essentia est Filius, nempe Identitate Entitatis, eodem sensu Pater sit Filius. Hæc erat ipsissima mens mea, quando superius ostendere conatus sum, quod non verificentur contradictoria; & hinc in tradita ibi doctrina, ob hujus authoris æstimationem, libenter perulto, quidquid alij judicaverint. Quin etiam intelligo, Hispanum Theologum sæpè laudatum infra, in eadem esse sententia, quod non sint admittenda prædicata contradictoria, necdum tamen legendi copia facta est.

593. Deducitur ex dictis, quo sensu sit vel non sit metaphysicè evidens illud axioma: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Est, inquam, metaphysicè evidens, quod quando duo sunt eadem vni tertio communicatione formaliter & materialiter summâ, sunt eadem inter se: & quia hæc sola communicatio summa potest intercedere in creaturis, ut probatum & declaratum est, ideo in creaturis semper est metaphysicè evidens illud axioma, & non est opus declaratione aut distinctione; in Deo autem ut locum habeat, adhibenda est distinctio & declaratio.

594. Porro quia Deus est Ens infinitæ perfectionis, contra cujus conceptum non est, posse communicari summè formaliter alicui prædicato, quin illi communicetur summè materialiter, item, posse communicari perfectivè, quin communicetur perfectibiliter: & simul etiam fides doceat, hoc defecto fieri in Trinitate, deducitur, quod ratione naturali neque sit evidens, posse in

Deo dari hujusmodi communicationem, neque etiam e contra sit evidens, eam non posse dari. Et hoc sensu ex fide constat, falsum esse illud axioma in eo sensu, in quo non est evidens: scilicet: *quæ sunt eadem per communicationem summam formaliter, sunt eadem inter se, & communicant in omnibus prædicatis.* Atque hoc denique sensu verum est, quod dicunt Theologi, Mysterium Trinitatis non contrariari Principio metaphysico in eo sensu, in quo est evidens, sed esse supra illud, sicut est supra naturalem vim cognoscendi.

595. Postquam declaratum est, quod Mysterium Trinitatis non adversetur naturali rationi, breviter etiam videndum est, quomodo sit eidem naturali rationi conforme.

Primo ergo naturali rationi conforme est, quod non detur in Deo vllum exercitium vitale præterquam intellectiōis & volitionis: omne enim aliud vitale exercitium, ut sensationes, vegetationes, motus localis; includunt formaliter imperfectionem, non item Intellectio & Volitio: & sic jam excluduntur à Deo omnia alia prædicata perfectibilia, quæ non habent rationem Intellectiōis, ut habet filiatio, aut volitionis, ut habet spiratio passiva.

596. Secundò est naturali rationi conforme, quod Intelligens & Volens intelligendo & volendo non merè recipiat, sed agat, & detur realis distinctio inter producentem & productum; hæc datur inter Patrem & Filium, inter Spiratorem & Spiritum.

597. Tertiò est naturali rationi conforme, quod detur in Deo Productio Volitionis originatæ etiam ab Intellectiōe producta, & non à solo primo principio improducto: hoc modo Spiritus S. non à solo Patre, sed etiam à Verbo procedit.

C A P V T II.

DE PROCESSIONIBVS, RELATIONIBVS, ET NOTIONIBVS DIVINIS IN GENERE.

CONTROVERSIA I.

An, & quot dentur in DEO Processiones.

598. **F**undamentum multiplicandi Personas divinas est, quod alia ab alia procedat; processio autem sine reali distinctione non datur. Processio est Emanatio & Origo vnius ab alio.

599. Dividitur autem Origo in Activam & Passivam, ad similitudinem actionis & passionis, quæ concipitur intervenire inter Causam & Effectum, seclusis tamen imperfectionibus de-

pendentiæ vnius ab alio, & mutationis. Origo activa concipitur inesse principio producenti, Origo passiva termino producto. Et quamvis communior philosophorum opinio sit, in rebus creatis non distingui actionem à passione, recipique in termino, non in principio, de divinis tamen Processionibus aliud dicendum est, quia in Deo sunt penitus inseparabilia hæc duo: *Producere: & Posse producere: & Principio producenti*
M 3 est utrum-